



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

Quorundam circa orationem dubiorum resolutio

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

## CAPUT XXIV.

*Quorundam circa orationem dubiorum resolutio.*

**C**omplures Fratrum nostrorum animos initio, ubi in orationem incumbere incipiunt, occupare possunt difficultates, quas hoc loco resolvemus, uti suprâ polliciti sumus, ut quantum quidem in nobis est, tractatui huic nihil desit. Et primò quidem ponemus

*I. Dubia circa preparationem.*

**I.** **Q**uid faciendum, ubi quis fastidium seu repugnantiam erga orationem persensit? Magnâ opus est fidelitate in semetipso superando, ne unquam ab oratione se subducatur, aut suo in illa muneri desit, quia repugnantia illa manifesta est tentatio Dæmonis. Ad hæc connitendum est, ut affectum erga sanctum hocce exercitium recuperet, tempus aliquod impendendo recollectioni extraordinariæ, petendo licentiam die aliquo hoc sine incolendi solitudinem, servandique silentium, aut etiam hoc sine offerendo Deo actum aliquem pœnitentiæ aut mortificationis corporalis. Et verò nunquid infirmus ciborum laborans fastidio omnibus modis allaborat, ut gustum recuperet? quia cibi, quos cum nausea capit, cum ipsi desipiant, adeò ei multum non proficiunt, atque illi, quos capit cum gustu. Quod si tamen gustum recuperare non possit, nihilominus cibum sumere contendit, quia

hic

hic vitæ ipsius sustentandæ usque adeo necessarius est, ut illo deficiente & ipsa deficiat necesse sit. Idem omninò dicendum est de gustu interiore erga orationem, quæ nostrarum nutrimentum est animarum.

2. *Nunquid ex defectu preparationis oritur, quod ex omnibus illis, qui vacant orationi, tam pauci in illa proficiant!* Utique id oritur ex eo, quod non observent regulas præparationis, quam vocamus *remotam*; quidam enim sui corporis commoda nimium consecretantur, ac vitam ducere volunt suavem, suoque genio commodam. Alii sui corporis sensibus cohibendis & cogitationibus moderandis minus æquo student, animo semper distracti, millenisque phantasiis impertinentibus & chimæricis implicati, ut proinde nimiam corporis animique libertate gaudentes devotionem amittant, compunctionis spiritum extinguant, minusque serii, quin potius in omni conversatione sua extroversi evadant; consequenter verò Spiritus sanctus ab illis se subducit, teste Sapiente, ubi ait: *Spiritus sanctus disciplina effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu.* Quantum verò ad illos, qui commodis corporis nimium sunt addicti, Deus ait in libro Geneseos: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est.*

3. *Quenam est optima dispositio ad orationem?* Est bona voluntas. Tametsi enim necessarium sit, ut quis initio, quantum fieri potest, se astringat ad præcepta, quæ dedimus: multò tamen melius, magisque necessarium est, magno teneri orationis bene faciendæ de-

siderio, quàm scire illius faciendæ methodum. Hoc etenim desiderium solum sufficit ad animam instruendam, quâ ratione facienda sit, ac methodus, quam dedimus inutilis erit, nisi desiderium illud præcesserit.

Hoc solum desiderium quàm efficacissimè instruxerat bonum illum observantiæ nostræ Fratrem Laicum, qui suo labore bene defessus veniens ad orationem pluribus annis non fecit nisi brevem istam, ac excellentissimam: „ Mi Deus, inquebat, sum miser Idiota, quid „ quid tu scis, me dicere tibi debere, hoc dico: „ Da mihi gratiam potius moriendi, quam „ faciendi meam propriam voluntatem: „ Sanctus Abbas Paphnutius, ubi beatam penitentem Thaidem ad meliorem frugem converterat, illam conduxit in desertum, ac cellulæ inclusit. Cùm verò ab ea discedere pararet, ipsa eum rogavit, quâ ratione orare deberet: cui sanctus Pater respondit, quandoquidem enormiter Deum ipsa offendisset, indignam esse, quæ nomen illius sanctum pronunciaret ideoque admonuit, ut solummodò diceret: *qui plasma sum, miserere mei.* Tres deinde ipsa annos supervixit, atque omnis oratio illius non fuit alia, quàm ista duo vel tria verba. Nihilominus in mulierem adeò sanctam evasit, ut mortem ipsius consecuta sint plures gloriæ ipsius revelationes sanctis factæ Anachoretis. Quicumque igitur bonæ fuerint voluntatis, se consolari debent, tamen præcepta à nobis tradita, neque memoriâ tenere, neque observare possint, dummodo faciant, quidquid poterunt,

4. *Convenitne multam legere materiam ad hoc, ut quis ad orationem se prepararet?* Error hic est nonnullorum, qui, ne materia ipsis deficiat, metuentes, magnâ cum anxietate multa legunt, multos in animo suo coarctantes pulchros conceptus, ut illos deinde in oratione digerant. Multum illi temporis inutiliter terunt, nihilque faciunt boni. Satis igitur erit duo vel tria puncta sive veritates seligere, quæ inter legendum animo amplius placuerint, quibusque se quis existimet in meditatione amplius commotum iri.

5. *Nunquid expedit sapius mutare librum meditationum?* Minimè profectò, omninò enim necesse est illi, quem quis semel selegerit, legendo diutiùs insistere, ut materiarum, quas meditatatur, cognitionem adipiscatur consequentem. Quod si tamen in argumentis cujusdam libri neque gustum, neque facilitatem persentiscas, poteris commonere Patrem Magistrum, ut ille, si expedire censuerit, librum tibi commuter.

## 2. *Dubia circa meditationem.*

1. *Qua in re sub meditatione vitanda est curiositas?* Duplici in re. Primò curiosi esse non debemus in examinando, an Mysterium aut punctum, quod meditatur, verum sit, sed ipsum simpliciter nobis credendum est: quia fides totius meditationis fundamentum est, veluti meditatio fidei est excitatio.

Q3

2. Cu-

De  
oratione

2. Curiosi esse non debemus in consecrandis exquisitis verbis, neq; in adveniendis pelliculis conceptibus, qui ordinariè non servant nisi animo recreando, unde anima ex illis alium fructum non reportat, quam propriam satisfactionem. Primò igitur eò connitendum est, ut cor nostrum lucremur, atque ad efficacem propositum corrigendi aliquam imperfectionem, aut acquirendi virtutem impellamus. Quod si semel cor tuum Deo lucratus fueris, omnia lucratum te esse existima. Non enim ita agitur de cognitione, ac de amore; & si amorem Dei habueris, hic tibi scaturigo indeficiens erit eximiorum luminum, sanctorumque cogitationum, veluti suis in exercitiis notavit noster P. Dominicus, compluresque ex Fratribus nostris sunt experti: notitiæ enim non sunt adeo efficaces ad nos amoris divini incendio inflammandos, veluti amor Dei efficax est ad nobis suggerendas eximias exquisitissimasque notitias. Unicè igitur laborandum nobis erit, ut cor nostrum Deo lucremur, cui rei cogitationes ac verba simplicissima multò ampliùs subservient.

2. *Nunquid expedit sapiùs meditari circa eandem materiam?* Expedit sanè. potissimum si quis advertat hacce materiã se multum commoveri, semperque majorem gustum ac sensum in illa reperiat. Quod si tamen reperiretur, qui ordinariè non commoveretur nisi duabus aut tribus veritatibus, exempli gratia, vanitate rerum terrenarum cum æternis, aut excellentia futuræ gloriæ collatarum, ille idcirco quævis alia meditationis argumenta relinquere

quere non deberet, ut istis semper insistat: quia finis orationis in eo dumtaxat non consistit, ut semper in recta via contineamur, id quod obtinere possemus ex unico conceptu bene expenso; verum etiam ut in amore & notitia magis quotidie magisque proficiamus; id quod ordinariè non consequimur, nisi ex plurium argumentorum meditatione, ut intellectus magis magisque illustretur.

3. *Quid faciendum est, ubi quis nullo meditationis puncto commovetur?* Postquam rationabiliter suaviterque conatus fuerit inde lumen aliquod elicere, puncta illa relinquere, atque ad alia transire debebit, ita ut si primum fuerit insipidum, transeas ad secundum, quod si nec proficias in secundo, transeas ad tertium: quod si verò nullo modo commoveris, patienter omni cum humilitate atque perseverantia hunc defectum tolerare debes, eliciendo nihilominus bonas aliquas resolutiones, etsi sine gustu aut sensu, quæ nihilo secius efficaciores esse poterunt illis, quas quis eliceret magna cum notitia ac fervore. Quod si existimas alio te amplius commotum iri argumento sive materia, illam arripere poteris. Quod si è contrario etiam commutatâ materiâ advertas æquè te frigidum remanere; fortiter ac patienter primæ, quam selegeras, insistendum tibi erit, etiamsi absque omni tibi fructu id fieri videatur.

4. *Quousque insistendum est representationibus imaginariis & corporeis in meditatione mysteriorum?* Quousque utiles sunt impediendæ imaginationi, ne huc illucque vagetur

Q 4

&amp; ober-

De  
atione

& oberret. & non amplius. Ubi primum enim fieri poterit, ad considerationes intellectuales transeundum est. Exempli causâ, si quis meditetur de Inferno, minimè illi hærendum est in sola repræsentatione ignium, Diabolorum, aliorumque, quæ horrendum ipsum efficiunt; verùm continuo considerare debet istarum pœnarum æternitatem, peccati, quod illarum causa est, enormitatem, severam Dei justitiam &c. Similiter si mediteris de Nativitate Salvatoris nostri, post efformatam stabuli, præsepis ac fœni Ideam confestim transire debes ad considerationem meriti illius, qui nascitur, amoris, quò nos prosequitur, motivorum, quæ habuit eâ ratione nascendi, virtutum, quas exercuit &c.

§. *Quando relinquendus est discursus?*  
Statim ac te sanctâ quadam affectione commoveri adverteris, quam fovere debes, absque tamen eo quod intellectum avoces à cognita veritate, sed ipsum dumtaxat contineas, ne ulterius progrediatur, donec voluntas affectus suos elicuerit.

Non rarò evenire solet, ut primo intuitu intellectus statim totam materiam tam perfectè comprehendat, adeoque ipsâ oblectetur, ut suaviter cogatur oculum cogitationis apertum simpliciter in ipsa defigere absque alio discursu: Exempli gratia, si quis consideret sacratissimam Salvatoris nostri humanitatem inter manus militum ipsum coronantium spinis. in faciem ipsius consputantium, colaphos sacris illius genis infligentium, profundo fortassis sentu comprehendere incipit ineffa-



effabilem patientiam ac mansuetudinem Jesu Christi, absque eo quod possibile ei sit ulterius progredi. Optimum hoc erit, sufficietq; hunc simplicem intuitum continuare sine alio discursu, affectumque, quo commotum se adverte- rit, fovere. Quod si quandoque à Deo tractum te advertas ad magnam interiorem quietem, discursu relicto, hunc gratiæ attractum suaviter sequi debebis, nudè ac simpliciter coram Deo persistendo, ut cum eo in tui intimo converseris atque oblecteris, quin necesse sit producere actus expressos de industria & cum actuali reflexione ad ea quæ facis: Est enim impossibile animam in eo statu esse otiosam, omninòque ipsa se sinere debet agi secundum hanc commotionem & attractum.

6. *Ubi cogitationes bonæ, quæ aliquando in meditatione suboriuntur, discrepant à preparata materia, nunquid eas oportet rejicere?* Nequaquam, quin potius illis insistendum est, quantum credi potest illas provenire à Deo. Quod si tamen id sæpius eveniret, tandemque adverteres, exiguum inde percipere te emolumentum, melius foret conceptam prosequi materiam. Præ omnibus tamen ea super re consulere debebis Patrem Magistrum. Similiter ubi fortis aliquis motus super aliquo sancto exercitio aut virtute tibi evenerit, quamquam propositæ meditationis materiæ non concordet fovendus tamen erit, imò illi diutiùs etiam insistendum.

7. *Qui ex seipsis atq; absq; ulla reflexione seu alligatione ad ullam artem sive indu-*

*striam seipfos facile occupant, tenentur ne illi se astringere ad sequenda præcepta superius à nobis proposita? Necessarium id minimè erit, sique viderint ipsi, affectum suum facile excitari ad primum subjectæ materiæ intuitum, cum certa quadam elevatione cogitationis ipsorum supra repræsentationes sensibiles, suaviter id permittent, cumque Deo se occupabunt, juxta quod se interius sentient commoveri, voluntatem multò amplius, quàm intellectum intendentes. Quod si etiam aliquando se advertant elevari ad claram notitiam veritatis aliqujus extensioris, in qua animus eorum ipsis videatur excurrere, ac se facilitate quadam incomparabili dilatare, absque eo quod ipsum quidquam limitet aut derineat, instar aviculæ in aëre puro ac sereno volantis, voluntate etiam impletâ ac redundante suavitatibus ac sanctis virtutum desideriiis & affectionibus, gratiam hanc singularem recipient à Deo, uti superius diximus, cumque Patre Magistro rem communicabunt, eamque gratiam habebunt pro signo, quod Deus velit, ut ipsi magnâ cum fidelitate inserviant, sanctoque orationis exercitio per amplius se addicant.*

*Cap. 17.  
de statu  
devotionis  
sensibilis.*

*8. Expediunt aliquo tempore per interval-  
la se continere in interno quodam silentio?  
Etiam, præcipuè in fine cujuslibet puncti, ut  
locum demus Spiritui sancto loquendi ad cor  
nostrum. Quoniam evenire non rarè solet, ut  
vocem illius non audiamus, eo quod nos ipsi  
nimium loquamur, cum tamen unicum divini  
oris ipsius verbulum multò amplius nos in-  
strueret, quàm facere queat ingens numerus  
nostræ*

nostrarum ordinarium meditationum. Verum ut hoc fiat, valde tranquillos, atque interiorius reollectos nos esse oportet.

9. *Nunquid profectum aliquem in via orationis sperare possunt ii, qui cum prorsus meditari, aut animo diutius in ulla materia herere non possint, magno tamen precandi Deum, illiq; inserviendi tenentur desiderio?* Indubiè, dummodò perseverent in bona voluntate sua, bonorumque operum ac mortificationis exercitio. Multum illi studere debent exercitio aspirationum, ordinariè etiam comportare se cum debent meditationum, aut alium librum spirituales, ut meditationi suæ lectionem intermiscant, hacque ratione animum continent. Ubi verò inter legendum repererint locum aliquem, quo commoveantur, elauso libro ipsum aliquanto tempore considerare conabuntur, ut fructum aliquem pro vitæ suæ emendatione inde eliciant. Nonnulli tantum ex hac methodo perceperunt emolumentum, quantum alii ex longis suis ac profundis meditationibus. Perutile quoque ipsis erit, suavi, simplici ac nativâ uti repræsentatione mysteriorum vitæ ac passionis Domini nostri, absque ulteriori eorundem penetratione, vivâ cum fide præsentia illius coram ipso consistendo, & cor suum affectuosè concedendo motibus affectionis, quam persentiscant, absque alio artificio aut discursu consequenter ad hunc simplicem intuitum producendo.

Modò videlicet dolore & compassione de pœnis illius, de quibus ei gratias agent, tene-  
rescent.

De  
ntione

rescent. Aliàs infirmitates atque imperfectio-  
nes illi suas exponent. Aliàs ei sese offerent ad  
ipfi toto corde serviendum, generosèque in  
obedientiæ, charitatis, atque humilitatis ope-  
ribus se exercitandum. Cùm istud orationis  
genus haud multa indigeat attentione ac la-  
bore, nemo est, qui ab ea se justè queat excusa-  
re. Certissimum verò est, ex ea maximum re-  
portari à quovis posse emolumentum; opti-  
ma enim oratio illa non est, quæ amplius scater  
bonis cogitationibus & conceptibus, verùm  
ea, quæ ex optima procedit voluntate, quam-  
que major consequitur in se corrigendo, atque  
in bonis operibus exercitando fidelitas.

Sancta Virgo ac Mater Theresia hocce ge-  
nus orationis plurimum commendat, fatetur-  
que de seipsa magnos se ex illa reportasse pro-  
fectus, Religiosis filiabus suis ita loquens:  
„ Ex, quæ intellectu parum discurrere, cogi-  
„ tationes suas, ne diffluant, cohibere non pos-  
„ sunt, semper coram Domino ac vèro Magi-  
„ stro nostro consistent. Non equidem exigo,  
„ ut cogitetis de illo, plures efformando con-  
„ ceptus, neque ut magnas ac delicatas in in-  
„ tellectu effingatis considerationes; sed hoc  
„ solum in præsentia à vobis requiro, ut oculos  
„ in ipsum conjiciatis: Ecquis verò suæ mentis  
„ oculos detorquere velit à Salvatore nostro?  
„ Res aliquando intuemini deformes, & rem  
„ totius mundi formosissimam intueri detre-  
„ staretis? Ipsum, ubi volueritis, intuebimini,  
„ nihil etenim sic ille desiderat, quam ipsum ut  
„ aspiciatis. Minimum contuitum nostrum tan-  
„ ti facit, ut sua ex parte, nihil non faciat, quo  
vos

„ vos incitet, ut oculos in ipsum vestros conji-  
 „ ciatis. Quod si tristamini ac desolamini, in via  
 „ horti consistite, ubi anima ipsius tantopere  
 „ angebatur, ut ipse, qui tamen erat ipsa pa-  
 „ tientia, de sua tristitia conquereretur. Aut  
 „ certè videte illum affixum columnæ, dolori-  
 „ bus onustum, pelle ob vestri amorem discis-  
 „ sum, ab his persecutum, consputum ab aliis,  
 „ ab amicis negatum, à Discipulis derelictum,  
 „ absque ullo subsidio, frigore constrictum  
 „ adeoq; malè tractatum, ut facile vobis sit ex  
 „ illius intuitu solatium capere. Aut deniq; in-  
 „ tuemini ipsum sub cruce curvatum, tantâq;  
 „ cum violentiâ protrusum, ut respirare vix  
 „ queat, ipse vos oculis suis pulcherrimis mise-  
 „ ricordix ac lacrymis plenis intuebitur, suo-  
 „ rum ille dolorum oblitus, vestros solabitur  
 „ ac levabit, tantum ut cum ipso vos console-  
 „ mini, facieq; conversâ ipsum nunquam non  
 „ intueamini. „ Hæc inquit sancta Virgo.

10. *Nunquid de profectu desperandum, ad-  
 eoque oratio relinquenda est iis, qui sub ipsa in te-  
 nebris ambulant?* Nequaquam, quia via tene-  
 brosa, arida, deserta ac petrosa æquè à Deo est,  
 ac illa, quæ facilis est ac luminosa.

Quod si quis igitur cæci instar conducitur,  
 quin sciat ubi vertetur, neque ubi ambulet aut  
 quo vadat, non perentiscens nisi fastidium  
 atque ariditatem, quamcumque ipse adhi-  
 beat præparationem & industriam; ille præ-  
 cipuè opus habet magnâ patientiâ atque in-  
 manus Dei resignatione, ut constanter il-  
 lam consecratur viam, quantumvis diffici-  
 lem ac molestam. Hac in re necesse est, ut  
 amore

De  
 mtione

amore nudo, forti, suisque commodis minimè adhærescente obediat Deo, in illius directione confidat, ipsum in hoc etiam quam maximè amet. Porro hæc via eò est excellentior, solidior ac perfectior, quò occultior, magisque ab omni voluptate sive sensibili sive spirituali aliena. Ex quo fit, ipsam non esse nisi pro animabus generosis, magnæque perfectionis amantioribus, quæ hanc ob rem specialissimè opus habent frequenti communicatione cum Patre Magistro aut Directore suo spirituali.

### 3. *Dubia circa Affectus.*

1. **Q**uid faciendum, ubi voluntas ex meditatione nullo modo commovetur? Nequaquam impatiente id animo ferendum, sed humiliter & cum resignatione tolerandum, hoc enim ipsum est, in quo potissima pars consistit profectus, quem vult Deus ut reportemus ex oratione; Et verò hic profectus exiguus minimè est, humilis etenim illa resignatio quam maximè placet divinæ Majestati. In hoc ergo sancta illius amplexanda voluntas, ipseque à nobis laudandus est silentio, quod nobis commendat hoc ipso, quò nihil, quod ei dicamus, inspirat.

Quod si neque istos resignationis actus elicere queamus, saltem illorum desideria concipere debemus. Quod si neque illa concipere posse nobis videamur, rogandus nobis est Deus, ut ipse seipsum laudet in nobis eo modo, quo ipse desiderat, eo fine nos ipsi totaliter resignando.

Atque, ut paucis expediam, si quis in statu  
esset

esset insensibilitatis, ut facere omninò posset nihil, patienter tolerandum id foret, atque hoc eò erit utilius, quò minus ex parte nostra erit oblectationis. Utilissimum sanè hac in re erit recurrere ad gloriosissimam Virginem, aut aliquem ex nostris sanctis Patronis, ut illius interventu obtineamus sancti Spiritus gratiam, quæ forte nobis in pœnam defectuam nostrorum denegatur.

2. *Nunquid connitendum erit, ut, etiam reluctante hoc statu affectus producamus? Minimè, quia voluntas est potentia libera, quæ nec potest, neque debet cum violentia impelli. Sufficit ergò illam omnibus considerationibus, quas adinvenire poterimus, rationabiliter excitare. Quod si hoc non succedat, simpliciter patiendum est, ubi agere non poterimus, aliàs enim periculum adiremus ingentem causandi capitis dolorem. Huc namque referri potest Sapientis illud effatum i *Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum, & qui vehementer emungit, elicit sanguinem.* *Prov. 30. 33.**

3. *Nunquid anima eo casu saltem posset se juvare formulâ aliquâ actuum resignationis & humiliationis coram Deo? Etiam poterit hac vel simili ratione: „ In mea hac impotentia, Domine, quàm humillimè in sanctam tuam me resigno voluntatem. Gaudeo, ad eò te magnum esse ac supra me elevatum, ut ex meipso tui nihil comprehendere queam. Confiteor etiam, esse me indignum prorsùs quem respicias, aut quo de vel cogites. Tamen verò à divino conspectu*

*Formula  
actuum  
resignationis &  
humiliationis.*

„ spectu tuo me totaliter non repudies, atque  
 „ men haud ignoro, me nullatenus mereri,  
 „ ut te collaudem, aut divinæ tuæ loquar Ma-  
 „ jestati. E contrario illam ego inhonoro,  
 „ ubi laudare incipio, quia quidquid de ipsa  
 „ dico, quidquid cogito, infinite minusest eo,  
 „ quod ipsa reverà est. Complaceat igitur tibi  
 „ Domine, ut meo nunc te collaudem silen-  
 „ tio, Velle desidero, quidquid de me tu vo-  
 „ lueris, dicere tibi volo, quidquid tu ipse ti-  
 „ bi dicis, omnesque tibi laudes edicere cupio,  
 „ quas in gloria tua recipis à Beatis ac Sanctis  
 „ tuis.

4. Unde provenit, ordinariè aliquos affe-  
 ctibus citius aliis commoveri? Primò id pro-  
 cedit ex indolis *teneritudine*, mollitieque na-  
 turæ facilioris ad recipiendas quorumlibet ob-  
 jectorum impressiones. Qui ejus sunt genii,  
 meditationem interrumpere minimè debent,  
 ubi primum mediocriter commoveri se adver-  
 tunt, quin potius ad illam prosequendam  
 constringere sese debent. Res enim infructuo-  
 sa foret, totum orationis tempus impendere  
 lacrymis, suavioribusque affectionibus, quæ  
 ordinariè in hominibus istis non sunt nisi effe-  
 ctus naturæ, omissis iis, quæ magis necessaria  
 sunt. Secundò provenire id potest ex eo, quod  
 quis iam tum *plurimam* rerum divinarum *no-*  
*titiam* per meditationes præcedentes *acquisi-*  
*rit*, adedò ut anima sit tantæ perspicacitatis,  
 ut, si suæ considerandæ materiæ insistere vel-  
 let diutiùs, potiùs obscuraretur, ac refrigeret-  
 ret. Illi omnino pertinaciter velle non debent  
 meditari, sed frui potius fructu superiorum  
 suorum



suorum laborum, totumque tempus impendere affectibus, quia jam tum ab initio dimidium facti, hoc est, intellectum habent circa propositam materiam quàm illuminatissimum atque instructissimum. Praxis ista non nisi Proficientium propria est, qui poterunt etiam aliquando (ubi nimirum fuerint impediti, quo minus ad orationem præparare se potuerint) revocare in memoriam aliquam ex præcedentibus meditationibus, ut iterùm hîc degustent, quod aliàs gustarunt atque utiliter affectibus, quos in semetipsis excitarint, occupentur.

5. *Quod si affectus vehementior fuerit, instar ignis ardentis cor ardore suo adurentis, nunquid ei omnimodè concedendum erit?* Neutiquam id facere debent potissimum Incipientes. Verùm intensiores illi ardores moderandi erunt, siue activitatem animi temperando, siue etiam, si aliter ignis ille temperari nequiret, orationis argumentum commutando. Hic etenim nimius æstus causare posset capitis dolores, ac stomachi pectorisque debilitates, quæ animam impedirent, quo minus pro multo tempore facere posset orationem: imò timendum est, ne excessus illi proveniant potius ex causa aliqua naturali, quàm operatione Spiritus sancti.

6. *Quomodo fovendi sunt affectus, ubi illos deprehendimus remittere?* Faciendum est instar illius, qui ligna igni superaddit, ipsumque sufflat, ne restringatur: ita & nos affectuum ignem sufflare debemus,

R

illi

De  
oratione

illi intermiscendo considerationem. Quod si quandoque voluntas emotam se tenferit nescio quo amore Dei molliatque otioso, qui nihil facere aut pro ipso aggredi velit, illam urgentioribus motivis impellere debemus ad aliquid pro gloria ipsius aggrediendum, puta ad revellendam aliquam imperfectionem, aut amplexandam alicujus boni operis exercitationem, neque ullo ipsam modo ita indeterminatam ac suppressam relinquere oportebit.

7. *Estne necessarium, ut Deo semper loquamur in secunda persona in iis, quos producimus, affectibus?* Non, sed per apostrophen aliquando alloqui possumus animam nostram, aliquando Sanctos, aut alias etiam creaturas: sufficit etiam aliquando moderatè ruminare atque animo recolere punctum illud, in quo voluntas adinvenit gustum, illi cordis intimo cum affectu insistendo absque eo quod vel Deo vel nobisipsis loquamur.

8. *Nunquid quorundam in pluribus virtutum actibus exercitandis reprehendenda precipitatio est?* Etiam, quia ille agendi modus plenus est distractionibus, atque idcirco ubi cognoverimus, quanam virtus pro statu præsentis nobis magis necessaria sit, illi præcipuè insistendum erit, absque tamen aliorum actuum, qui quasi sponte se ingerunt, reiectione. At hinc inde ad illos inquirendos vagari omninò minimè oportet.

9. *Nunquid præ cæteris magnificandi sunt affectus sublimioris ac purioris amoris Dei?* Recipiendi quidem illi sunt cum humilitate, ubi illos concesserit Deus, at nunquam ab actibus

bus reverentiæ in nostra vilitate, humilitatis in nostra miseria ac doloris de nostris peccatis discedendum erit. Optimè enim dixit sancta Theresia, nunquam committere nos debere, ut omnes exuamus affectus humillimæ sincerissimæque compunctionis, quæ panis est quotidianus, cum quo vesci nos oportet omnibus aliorum sanctorum affectuum cibus.

10. *Quid faciendum, ubi timemus, ne promissa, quæ Deo facimus, minimè exolvamus?* Conscientia illa timidior & plus æquò diffidens exuenda est, contrarium cum auxilio te divino facturum sperando, nec pusillanimitati aut frequentium in eosdem defectus relapsuum recordationi succumbendo: semper etenim à divina bonitate liberationem ab hujusmodi infirmitatibus sperare debemus.

11. *Quid faciendum est animæ, ubi eum, quem sperabat successum, atq; in oratione satisfactionem non experitur?* Bona praxis eo casu est, rebus, quas meditati fuerimus, affici, non secundum infirmam earum notitiam, quam habemus nos, sed juxtâ quod illas cognoscit Deus, illi exempli causâ dicendo:  
 „ Desidero, Domine, talem vel talem rem facere pro gloria tua, affectione non quidem exiguæ, quam ego habeo, notitiæ, sed cum desiderio te, quantum quidem tu ipse mereri tenosti, glorificandi.

Optimum quoque factu erit, divinæ suæ Majestati offerre sensus nostros imperfectos in unione eorum, quos Dominus noster Jesus Christus super eadem materia habuit perfe-

ctissimos : quinimò distractiones quoque nostras involuntarias in obsequium ac recognitionem divinissimæ illius attentionis, quam ipse semper habuit suis in orationibus ; tentationes nostras importunas in honorem infinitæ sanctitatis ipsius ; inquietudines nostras in honorem perpetuæ ipsius atque invariatae tranquillitatis ; imperfectiones nostras, quæ quidem in nobis involuntariæ sunt, hac ratione referendo in gloriam contrariarum virtutum, quæ sunt in sacratissima ipsius humanitate. Hæc etenim glorificandi Deum methodus ipsi quàm acceptissima, nobisque est quàm utilissima.

12. *Quidnam oratione absolutâ factò opus ?* Primò opus est examine, ad videndum, qua nos ratione in illa gesserimus, an videlicet bene præparaverimus materiam ; an in Dei præsentia continuò perstiterimus attenti & tranquilli ; an verò è contrario fuerimus conturbati ac distrahi, atque unde hoc acciderit : quales habuerimus motus & affectus ; quò illi nos impellant, quantopere ad illos in praxin redigendos obstringamur, & quid determinatè Deo polliciti simus.

Secundò necesse est nos conniti, ut toto die conservemus recollectionem in oratione acquisitam, orationibus jaculatoriis, quantum fieri potest, fovendo affectus in oratione enatos, fugiendoque præcipuè curiositatem oculorum ac multiloquium. Optimè enim dixit Religiosus ille devotissimus : *Citò perit devo-*

*Thom. à Kemp. l. de discipli.*

*devo-*

*devotio, quæ non custoditur sub silentii* *claustr.*  
*fræno.* *cap. 8.*

3. Utilissimum est aliquando in memoriam revocare bona proposita illic concepta, eaque renovare. Denique perutile quoque erit fructum cujuslibet orationis paucis verbis in parvo quodam libello conscribere, vel ad hoc, ut illius rationem reddere queas Patri Magistro, ubi illum convenies, de interno statu tuo cum ipso communicaturus.

13. *Ex quo Religiosi alicujus profectus in oratione dignoscitur?* Ex majore interiore pace, majore ad res terrenas indifferentiâ, majore continentîâ sensuum ac linguæ, majore submissione, obedientiâ, ac propriæ voluntatis mortificatione, majore possessione sui ipsius, atque ad omnes actiones suas attentione. Optimè enim dicebant antiqui Patres, Religiosum orationi vacantem, neque tamen inde amplius mortificatum ac recollectum, similem esse grano vacuæ spicæ, quæ quidem in speciem pulchra videtur, at re ipsa non est nisi palea à quovis vento faciliùs agitata.

Hæc sunt, quæ Fratribus nostris, pro eorum instructione de benè facienda oratione mentali, scitu necessaria existimavimus.

Nunc consequenter de oratione mixta  
atque aspirativa acturi  
sumus.